

inter diametrum circuli & eiusdem circumferentiam inueniretur: secundum est, vt capacitas areæ circularis cum spatio parallelogrammi rectilinei exæquaretur. Hæc autem eo animo non proposuit, quasi inter rectum & curuum certa proportio, ex principiis geometriæ confirmata, dari posset: hoc enim impossibile esse, solertissimus & diligentissimus artifex probe intellexit: sed hoc indicare voluit, finem contemplationis de quadratura circuli, esse vsum, cuius præsidio machinas fabricari, & alia multa opera ad vitam nostram vtilia efficere possimus: proinde hunc contemplationis finem consequuti acquiescimus, etiamsi modus quadrationis non sit demonstratiuus, vt per omnia respondeat principiis geometriæ. Restat igitur, vt videamus, quo artificio Archimedes indagauerit proportionem, seu proximam mensuram inter diametrum circuli, & inter eius circumferentiam. Primo quidem etiam ipse Archimedes postulatum Antiphōtis secutus est, dum voluit, lineam rectam cum circumferentia per epharmosin æquari posse: si nimirum accipiatur rota aut orbis mobilis, qui a certo puncto in rectum circumuoluatur, donec ad idem punctum, vnde moueri cœpit, reuertatur. Quod cum factum fuerit, censuit Archimedes, lineam rectam æqualem datæ circumferentiæ in superficiem planam extensam esse: & vt maxime æqualitas ista ex geometria probari nō possit, hoc tamen putauit sufficere scopo mechanico, quod ex iudicio

dicio